

céra in vtero dolores syncipitis excitantur, qui ad oculorum radices, atque manuum digitos pertinent. Vlcus denique quod vteri collum occupat, tum nobis significatur, cùm primum per muliebre pudendum sanguis serofus exit, eo quòd, tum interior particula ipsius colli eroditur: dein fordes eiiciuntur. Ob hoc vlcus dolor acris, & pungens excitatur circa eam appendicem, quæ ossi sacro adnascitur, & Græcis *κόκκος*, Latinis cauda nominatur, qui hinc ad fæmora protenditur.

Quibus signis ossium continuatatem dissolutam esse deprehendimus.

CAP. XXI.

*χοινυός
dolor*

Dissolutiones continui, quæ ossibus eveniunt, fractura & caries dicuntur, quarum fractura multis modis deprehenditur. Primum quidem quòd os fractum est, occurrit inæquale tactui: deinde pungentem dolorem adfert: præterea ipsum commotum sonat. Post decurtatum appareat, & flectitur, si mouetur: quæ omnia fractis ossibus eveniunt, nisi coniunctis, veluti tibiis & cubitis, quæ semper geminata sunt, quorum unum altero illæso, frangi potest. Quodcunque os instar arundinis, aut raphani frangitur: sed priore modo secundum longitudinem; posteriore, secundum latitudinem frangitur. Nam arundo si calcatur, in plures partes secundum longitudinem distribuitur: raphanus verò transuersim secari solet, atque in duas partes duntaxat di-